

cione Jesaïæ ad Israelitas habita, c. X, 20. 21. *reliquiæ revertentur, reliquiæ Jacobi ad DEum fortem.* 4) eodem modo nomen significativum alteri filio imposuit c. VIII, 3. *Maher Schalal, chash bas,* h. e. *festinando spoliū acceleravit prædam.* Plura loca ab eodem Frankio eadem ratione perversa leges l. c. p. 140. sq. & alibi. Addam aliud exemplum ex Diacrit. p. 148. sqq. Efr. III, 12. ita pervertit: 1) *Plurimi ex sacerdotibus & Levitis & principibus Patrum senioribus (ejularunt) 2) (ille nempe) qui viderunt domum priorem (plorarunt) ad fundatam illam. 3) ad fundatam inquam hanc domum in oculis ipsorum, (præsentibus illis) plorarunt voce magna.* Accipe meam versionem, quam ex hypothese Abichtiana proponam:

*Multi, ex sacerdotibus & Levitis & principibus senioribus :
qui viderant templum primum.*

cum fundaretur hoc templum in oculis eorum:

fleverunt voce magna ::

Sic Luth., R. Athias, Vatabl., Belgæ, Angli, Ar. Montan. Si vocem *cum fundaretur*, ἐμφατικῶς pronuntias ob appositum primum *Sakeph* : intentioni primi punctatoris satisfecisti. Scio equidem Cl. Abichtium hunc nodum alio modo solvisse Art. p. 128. sed non video cur hypothesis, quæ in minoribus accentibus egregie procedit, non etiam in majoribus sit observanda. Hunc sensum etiam vidit Buxtorff. Vindic. p. 884. inquit: *Sakephkaton levem distinctionem facere* scil. in sensu, licet in lectione illa vox magna cum emphasi legenda sit: Si objiciat Frankius hoc modo primum : minus distinguere, quam secundum *in oculis eorum* R. distinguendam esse lectionem a versione. In lectione illa vox emphatica majori cum mora & emphasi legenda est, quam posterior, *in oculis eorum*, quia novorum fundamentorum positio, lacrymas exprimebat, sed in versione respiciendum est ad sensum, qui nostram versionem approbat.

§. XXXVII.

Sic tertia ejus Regula, quam inepte criticam appellat, (Critica enim grammaticam & logicam, omnesque disciplinas complectitur, vid. Præf. Heinsii ad Aristarch.) & potius rhetorica appellanda esset, hujus est tenoris p. 139. *inter distinctiones & conceptus, quos propositio seu periodus admittit, quovis loco ille eligatur, quem*